

**Oratio inauguralis, de anatome prodente errores in medicis : habita ad diem  
xx. Septemb. 1723. cum extraordinariam medicinae, anatomes, &  
chirurgiae professionem susciperet / Christiani Bernhardi Albini.**

### **Contributors**

Albinus, Christiaan Bernard, 1696-1752.

### **Publication/Creation**

Trajecti ad Rhenum : Apud Guilielmum vande Water, 1723.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/q6rxqxzp>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

CHRISTIANI BERNHARDI ALBINI

# ORATIO

INAUGURALIS,


D E

*Anatome prodente errores  
in Medicis,*

Habita ad diem xx. Septemb. 1723.

C U M

*Extraordinariam Medicinae, Anatomes, & Chirurgiae  
Professionem fusciperet.*



TRAJECTI ad RHENUM,  
Apud GUILIELMUM VANDE WATER, Aca-  
demiae Typographum. clo Io ccxxiii.

ИМПЕРИАЛЬНОГО АКАДЕМИЧЕСКОГО

ОГЛАДО

БИБЛИОГРАФИЯ

Л. С.

УЧЕНОЕ ПИСЬМО ВЪ ВЪДѢВЪ

СЪДЪЮЩІЕ

VIRIS.

N O B I L I S S I M I S.

E T.

A M P L I S S I M I S.

INCLYTAE. ET. FLORENTISSIONAE.

U R B I S.

T R A J E C T I N A E.

C O N S U L I B U S.

E T.

S E N A T O R I B U S.

A C A D E M I A E.

C U R A T O R I B U S.

A R T I U M . E T . S C I E N T I A R U M .

P A T R O N I S . E T . F A U T O R I B U S .

O R A T I O N E M .

H A N C .

D.

C H R I S T I A N U S . B E R N H A R D U S . A L B I N U S .



**O R A T I O**  
**INAUGURALIS,**  
**D E**  
**Anatome prodente errores**  
**in Medicis.**

---

**NOBILISSIMI, ATQUE AMPLISSIMI HUJUS UR-  
BIS CONSULES, ET SENATORES, ACADEMIAE  
CURATORES.**

**MAGNIFICE RECTOR.**

**CELEBERRIMI OMNIUM DISCIPLINARUM PRO-  
FESSORES.**

**VERBI DIVINI INTERPRETES FIDELISSIMI.**

**DOCTORES OMNIUM ARTIUM ATQUE SCIEN-  
TIARUM ERUDITISSIMI.**

**CIVES, HOSPITES, QUOTQUOT ADESTIS OR-  
NATISSIMI.**

**TU DENIQUE JUVENTUTIS CORONA, SPES  
PATRIAE, NOSTER AMOR.**



i laudes earum rerum, quibus deinceps me praepositum voluerunt Patriae, & Academiae Patres Illustrissimi, hac praelusione diligenter commemorare vellem, si in iis utilitatis, & dignitatis longe plurimum inesse affirmare, & magnificis, exquisitisque verbis probare ingredeteret, et si a veteri, & communi consuetudine non multum recederem, vereor tamen, ut me dicentem minus diligenter jam de principio attenderetis non modo, sed antequam sermonem ad finem perduxero, pene exploderetis. Facit enim illa ipsa consuetudo, & promiscua fere cujuscunque disciplinae laudatio, & exaggeratio, ut, quo magis splendidis ad probandum argumentis, & gravibus ad movendum verbis laudantis oratio fuerit ornata, & perpolita, eo minus apud circumfusam multitudinem habeat auctoritatis, quae sibi persuadet, vel non omnino ex animi sententia ita eum loqui, sed quod eam disciplinam exornandam sibi sumserit, vel suae, quam profitetur, artis amore ductum, corrasis undique argumentis omnes ingenii, & dicens

cendi vires contulisse , ut & ejus dignitatem maximo opere commendaret , & se ipsum , qui eam possideat , & traditurus sit , alicujus momenti esse omnium animis persuaderet. Quae licet mihi , de apta primae hujus meae concionis materie dispicienti , aliquem injicerent scrupulum , ac dubitationem , excitandum tamen in discere cupientium animis rei anatomicae studium , cuius cura p[re] caeteris mihi est demandata , admonendosque eos existimavi , quantum diligens , & accurata ejus pertractio momenti habeat ad Medicinam recte , perfecteque descendam , & exercendam. Cum enim credam , esse eam princeps & firmissimum Medicinae totius fundamentum , eo , quod sola ad vitam sanitatemque , & quamcunque corporis humani actionem simplicissimam vere , & ex suis causis cognoscendam argumenta suppeditet , laborem haud inutilem prorsus , nec ab eo munere , quod hodie auspicor , alienum suscep[t]urus mihi videor , si non communibus , & tralatitiis illis laudibus eam onerem , sed ipsa re demonstrare annitar , quid ad detegendam in sapientia medica veritatem , qua , uti in coeteris omnibus , sic in hac praesertim , nihil debet esse optatius , semper valuerit

§ O R A T I O N E

Iuerit humani corporis fabricae cognitio. Quanquam haud diffitear majori forte cum applausu, saltem confidentius, hac me opera esse perfundeturum, si pro iis tantum foret disputandum, qui in hisce studiis sunt versati, idque non ornate adeo, quam plane, & simpliciter. Nunc vero, quum ita evenerit, ut & omnium in hac celebritate animos, quos varia delectant studia, mea oratione demulcere debeam, & tenere, & meae in dicendo tenuitatis sim nimium conscius, omnem A. H. in Vesta benevolentia spem habeo repositam, simul mihi blandiens fore, ut animum, Vesta praesentia, & inusitato hoc spectaculo insigniter commotum, & perturbatum silentio, & vultuum serenitate sitis confirmaturi. Quare, dum prudentem in Medicis errores Anatomen brevi sermone Vobis depingo, pauxilli temporis attentionem mihi ne denegatis, etiam atque etiam rogo.

Duas in tradenda, & factitanda Medicina, inter se maxime diversas, omnium aetatum Medicos celebratissimos vias tenuisse legimus. Hi enim in solo usu, & experientia totam hanc disciplinam ponentes, nihil ad eam pertinere existimarent Anatomen, & Philosophiam, omniaque ex his

his elicita ratiocinia , frustraque in cognoscendis vitae sanitatisque & continentibus morborum caussis operam multam consumi , quum his omnibus commode carere possit salutaris professio , sufficiatque Medico , morbum simpliciter cognovisse ex caussis evidentibus , praegressis , & praesentibus propriisque ipsi symptomatibus ; tumque oppositum ei medicamentum perspexisse : ad quae non fabricae corporis cognitio , non intellecta penitus morbi natura , nec subtile ratiocinium , quidquam juvent , sed sola tantum experientia , & experimentorum requiratur notitia : atque adeo firma , solaque totius artis fundamenta esse singularia observata eorum , quae in quolibet morbo juvare , vel fortuitus casus indicaverit , vel industria , periculum faciendo , detexerit , vel & ipsa sibi commissa , nec turbata , natura fuerit operata . Haec vero diligenter notata in similibus casibus iterando , aut eorum forte defectu ejusdem generis alia substituendo , totam absolvi Medicinam . Illi vero , ut morbus legitime & certius curari possit , maxime interesse professi sunt , ut non modo ex evidentibus caussis , praesentibusque phaenomenis , sic cognoscatur , sed ut in primis indoles ejus ,

B

caus-

causaeque, uti vocant, proximae, penitissime habentur perspectae: has enim solas indicare Medico, quid agere debeat, & quibus ad morbum profligandum indigeat auxiliis.

In qua sententiarum ingenti discrepancia, quum rationales dicti Medici jure summo gloriantur, tantum se Empiricis, non modo vulgaribus illis, sed etiam optimis praestare, quantum rerum omnium scientissimi, & in luce clarissima firmiter incedentes, antecellant semidoctis, iisque, qui tenebricosa caligine circumfusi, incerto errore vagantur, tamen iis in ipsis, quibus supra Empiricos maxime se efferebant, adeo veritatem plerosque non esse consecutos, ut ejus investigandae protinus quasi obliti, omnem vim ingenii in fingendo fere consumserint, & opinionibus tantum in re tam seria pugnaverint, graviter ab Empiricis, nec immerito accusantur.

Recte quidem illi Veri Medici nomen mereri affirmarunt, qui, quid proprie morbos faciat, non ignoraverit, eosque ex suis causis plene cognoverit; & cum causae proximae morborum plerumque in obscuro sint positae, morbusque tantummodo sit quidam a sanitate recessus, jam  
ante

ante omnia sanitatem , caussasque , quae secundam valetudinem efficiant , penitus esse intelligendas ; ut enim rectum sit index sui & obliqui , ita & sanitatem esse sui & morborum . Principium itaque sermonis in Medicina esse debere naturam humanam , cognoscendum esse prius totum humanum corpus in conditione sua perfectissima , inquirendum in rationem functionum ejus , nullamque a sano exerceri solitam actionem occurrere debere , cuius causae Medico perfecte cognitae non fuerint . Quibus sane cum nihil verius dicere potuerint , & salutarius , tamen in explicandis sanitatis , functionumque ejus caussis , tantum abest , quidquam commodi utilitatisque rei medicae plerosque attulisse , ut magnam partem omne suum studium in eo posuisse videantur , ut & temere fingendo tenebras ei offunderent densissimas , & inter se tantopere dissentiendo , omnem desperandi veritatem injicerent suspicionem . Etenim plurimos tam egregie in his se gessisse deprehendimus , ut omnem protinus ex Medicina rationem proscribendam , & cum absque hujus ope nulla actio intelligi queat , harum indaginem , ut quae incomprehensibiles natura sint , supervacaneam esse ,

cum Veteribus Empiricis censeremns , nisi haec non rationis , sed ratione male utentium , vitio in Medicinam irrepsisse inter intelligentes satis constaret.

Quam vero putatis A. H. tot erronearum opinionum , tot inter laudatissimos viros dissensionum praecipuam fuisse caussam ? sane si quis penitus intropicere , & id quod res est dicere voluerit , fateri mecum cogetur , majorem non repperiri , quam quod partium fabricam , per anatomicam exercitationem cognoscendam , pro unico suorum ratiociniorum fundamento ubique non assumperint , sed accuratam earum cognitionem vel ut parvi momenti negligentes , vel ut supervacaneam spernentes , vel denique latenter non attingentes , vagis tantum ratiociniis cuncta impleverint . Quum enim quaelibet in humano corpore actio simpliciter sit certa quaedam & definita motus exercitatio , a fabrica partis , quae eam exercet , tanquam a caussa pendens , perspicuum est , ut effectus , qui sensibus nostris deprehenduntur , penitus intelligantur , in latentem eorum caussam , nempe partium firmarum & fluidarum fabricam atque indolem esse inquirendum ; ad haec enim , integre prius

prius perspecta, si applicentur leges physicae & mechanicae universales, atque singularia in quavis parte observata, caste & caute ratiocinando ad caussarum cognitionem haud adeo difficulter perveniri. Et uti hanc optimam & unam esse viam Sapientis cogitata ratio docet, ita etiam omnium aetatum & temporum experientia ipsa re eam comprobavit. Nam quoties Medici et Philosophi ex datis iis, quae Anatomie evidenter demonstrat, legitime ratiocinati fuerunt, toties quoque ea in medium protulere, quae bona et vera esse, non tantum eorum perspicuitas, sed ipsa etiam immutabilitas aperte indicant. Ubi vero partium structurae indaginem praetermisserunt, vel quam assequi nullo modo poterant, ingenio suo excogitare et supplere conati sunt, mille statim erroribus obnoxii facti, obscura, dubia, pleraque falsissima memoriae prodidere. Quae etsi primo aliquam prae se ferrent veri speciem, et, quod saepe a magni nominis viris profecta essent, ab indoctis et imperitis approbarentur, tamen cum nullo certo fundamento, sed sola tantum auctoritate, niterentur, nequaquam stabilia et certa permandere, nec confirmata sunt diuturnitate

temporum , vitiavitque tantum veritatem haec  
figmentorum colluvies , donec Anatome diligen-  
tius exulta latentes errores prodidit , & nudam  
manifestavit veritatem.

Et ne cuipiam vestrum nimium in his dixisse  
videar , circumferamus quaeſo mentis oculos ad  
ea , quae de vita humani corporis in scriptis re-  
liquerunt veteres. Exspectatis , ſcio , aliquid hic  
certi & perſpicui , cum absque vita nulla eſſe  
poſſit sanitas , nullaque in corpore actio exer-  
ceatur , ſed omnia quiescant , cum hanc ante o-  
mnia in ſano & aegroto aeftimare & moderari ,  
ejuſ vim & robur ex cauſis ſuis cognoscere de-  
beat Medicus , ut nunc vires languenti addere ,  
nunc ferocienti commode demere queat ; cum  
denique ſola ſit , quae corpori applicata , vel in-  
geſta , ſive alimentorum , ſive medicamentorum ,  
ſive venenorum titulo actuosa reddat. Quid  
vero eam proprie eſſe , & a quibus tandem cauſis  
eam pendere crediderunt ? nempe ante felicia  
illa Harvaei tempora vix aliam ejuſ agnoverunt  
cauſam praeter nativum illud , adeo decanta-  
tum , calidum. Nam cum recte dicent vitam  
hominis eſſe conjunctionem animae & corporis ,  
ut cauſam hujus conjunctionis , quatenus a cor-  
pore

pore pendet, id est vitam corpoream, indica-  
rent & explicarent, eam uno calore nativo con-  
tineri affirmarunt, qui licet singulis partibus a  
principio fuerit inditus, in corde tamen inpri-  
mis niduletur & abundet, & maxime in sinistro  
ejus ventriculo excoquatur: & ne diffatus, aut  
consumptus aliquando extingueretur, sanguinem  
& vaporem sanguinis, tanquam materiam &  
pabulum, a dextro cordis sinu suppeditari, qui  
in corde a perenni ejus motu elaboratus, cali-  
dior tenuiorque factus, caloris nativi fiat vehi-  
culum, quo ille exceptus e corde velut e fonte  
in omnes corporis partes diffundatur. Hoc erat  
instrumentum, cuius ope anima suas exerceret  
facultates, cuius quamdiu scintillula in corpore  
superesset, tam diu vita perennaret, quam  
primum vero integre esset extinctum, jam mors  
adesset: & cum in corde potissimum recondar-  
tur, id propterea primum vivere, postremumque  
mori; & quae, paululum ab his diversa, huc  
tamen fere residentia, alii alia pulchre excogi-  
taverunt. Intelligitis vero A. H. egregios hu-  
jus sententiae auctores inseparabilem quidem a  
vita effectum optime agnovisse, ejus tamen &  
vitae causas minime esse adsecutos; sed ipsum  
actuo-

actuosaे vitae effectum , calorem , pro effi-  
ciente eam habuisse caussa. At laterent haec o-  
mnia crassis adhuc occultata & circumfusa tene-  
bris , nisi subindicati a Serveto , Columbo , Cae-  
salpino , experimentis autem plenissime ab Illu-  
stri Harvaeo confirmati sanguinis circuitus ope  
lucem in his respexitissimus. Nunc enim multis  
et firmissimis argumentis , quae tam ipsa par-  
tium fabrica , quam anatomica experimenta  
plurima suppeditarunt , corporis nostri vitam  
in perenni isto humorum circuitu tantum con-  
sistere , solertes nos docuerunt Anatomici.

Quoniam ergo anatomicis inventis haec tan-  
tum accepta ferenda esse ratione utentes tam ma-  
nifeste didicerint , existimatis procul debio , et  
jure profecto , eos , in hujus circuitus caussis  
eruendis , Anatomien ducem ubique fuisse secu-  
tos , neque extra chorūm , uti ajunt , saltasse.  
Sed quam facile , quam cito , fidissimum hunc  
ductorem deferentes , de recta declinarunt via ,  
& vagis indulgentes ratiociniis , suo quaevis  
fixerunt arbitrio ? Quid enim ? Hic carnem  
cordis in suis poris continere aliquem sine lu-  
mine ignem scribit , qui sanguinis guttulam ,  
in ventriculos cadentem calfaciat , attenuet , suo  
fer-

fervore dilatet, & expanso corde erumpere cogat. Ille ad exemplum lactis, ad ignem incandescentis, sanguinem in cor illapsum, ab innato cordi, & perpetuata effervescencia conservato, igne accendi, rarescere, cordis parietes, quoad fieri possit, expandere, donec molestatum se se contrahat, arctet cava, & contentum sanguinem expellat. Et cum plerique caussas circumductionis humorum non in singulari quadam cordis & vasorum vi & actione, sed in ipsius sanguinis intestino motu, fermentationis vel effervescentiae instar impetum faciente, quaerent, factum ut eam vel ab utriusque sanguinis ad cor adscendentis, descendentesque, hujus bilem alcalinam, ut putabant, illius lympham & succum pancreaticum acidum, advehentis, miscela, vel allato per venam emulgentem aut cavam, in capsulis atrabiliariis elaborato fermento, vel in ipso corde a sanguine, inter ejus columnas haerente & acescente, producto, vel a sanguine sale, sulphure, spiritibus constante, sponte sua turgescente, fermento citro-sulphureo, quod in cordis parietibus collocetur, occurrente, excitari, & promoveri exstimatorint, & posteris suis persuadere voluerint. Ita her-

C

cle,

cle, ut caeteros sileam, ratiocinati sunt optimi & celebratissimi in arte medica Viri; & vivunt adhuc, qui testari queant, quam avide haec singula suis temporibus exceperint, quantopere ea probaverint, & admirati fuerint, praeceptorum auctoritate facile abrepti; quae tamen, cum anatomicis demonstratis non inniterentur, diu non viguerunt, sed ita subito eviluerunt, ut fabulis insultis, & quae ne audiri quidem mereantur, hodie annumerentur. Postquam enim egregius Borellus, in vivi cervi subito aperti sinistrum cordis sinus thermometro immisso, majorem ibi, quam in reliquis visceribus, calorem non observari demonstravit, Vestalis ille & Vitalis cordis ignis, tanti in corpore motus auctor, refrigeratus subito est atque extinctus. Postquam Harvaeus, Wallaeus, Lowerus, aliquique, captis & iteratis in vivis animalibus experimentis, evicerunt, sanguinem sponte sua nec fermentari, nec fervere, nec ebullire, rarescere, quatenus ea sensibus nostris queant deprehendi, funditus simul everterunt, quidquid de horum motuum natura, origine, perennatione & insignibus effectis, tam speciose excogitaverant. Meliora longe, immo vero certissima nos docuerunt

cuerunt & fabricae cordis vasorumque curata contemplatio, & sedula vivorum animalium inspectio: nullum sanguini, nisi quatenus in cava flaccida cordis irruens ea mole sua irritat, omnem contractili vi sinuum, auricularum, cordis & simplici aliarum partium pressioni debet humorum motum & impetum; nec aliam esse caussam, quae humorum motum perennare faciat, praeterquam mirabilem illam cordis & cæterorum vasorum, ut ita loquar, proprietatem, qua certa lege, certis temporibus modo resoluta, quasi flaccescendo, apta evadant in cavis suis ampliatis pressos a vicinis humores excipere; modo sese contrahendo, cava arctent, & excepta, vi quadam, in continuata vasa expellant. Prius tantum esse effectum, qui a cessatione caustarum contrahentium pendeat, posteriorius autem necessario requirere & legitimorum humorum in cava influxum, & sanguinis arteriosi per arteriolas minimas in villos contractiles motum, & superadditam quandam a cerebello per nervos efficaciam. Inde exhaustum sanguinem animal mori quiescente machina, aëre vel tepida per venam cavam, aut ductum thoracicum in mortuo versus cor adacto, motum ejus

LIBRUS 291331 LIBRIS C 2 LIBRUM SACRUM

saepe resuscitari , inde , sublata quocunque modo cerebelli cum corde communicatione , motum cordis subito cessare . Cum tamen resectum de corpore , omniq[ue] orbatum sanguine corculum , immo minutim consciuum , aliquamdiu violenter se ipsum moveat , & , postquam jam quievit , acus cuspidi stimulatum motus repeatat , continuet , subsiliat , non omnia simplicibus illis mechanicis caussis adscribenda , sed esse adhuc aliam latenterunt castissimi in Philosophis.

Uti vero fingenium licentia , & auctoritate depresso veritas Anatomes cultu in his facile emersit , sic & in caeteris humani corporis actionibus omnibus evenisse , & quotidie evenire nullo negotio ostenderem , nisi diffusa longe lateque materies , & hujus loci ratio in principibus subsistendum esse juberet . Quare lubet paullisper excutere , quam miras Anatomes ex cultoribus gratias memori mente persolvere debeamus , quod in explicanda cibi potusque concoctione , & in assignanda eorundem per corpus distributione , figmenta explodere , & nudam nobis & posteris ante oculos ponere voluerint veritatem . Actio nulla est , de qua tantopere non solum prisci Medici , sed etiam recentes dissentiant .

Era-

Erasistratum atteri cibum in ventre, Plistonicum putrescere, Hippocratem per calorem concoqui, Asclepiadem crudam materiem, sicut assumta est, in corpus omne dividi, contendisse & suis persuasisse sectatoribus, Celsus auctor est. In quorum singulorum propemodum sententiam non-nulos quidem recentiorum ivisse, alios vero fermentationis, effervescentiae, archaei, extractio-  
nis, acidi solventis, & his similium ope, concoctionem peragi voluisse, apparet ex scriptis. Verum nostrae aetatis Anatomicorum industria singula ista tum penitus refutavit, tum etiam multum correxit. Ne vero dicam verbosius de calore, hic non majori, quam alibi in corporis visceribus, de archaeo nihil omnino explicante, de acido solvente in ventriculo neque reperiundo, neque alibi ut in liene elaborato, & in eum delato, de fermentatione, cuius nulla in sano hic loci observantur phoenomena, effectusque, de excitantibus eam & promoventibus fermentis, vel in acido singulari & vitali, nativo ventri-  
culo, vel in principio quodam interno ventri-  
culo congenito & insito, vel in praecedentis co-  
ctionis reliquiis, vel in bile, saliva, humore  
gastrico, pancreatico acidis frustra quaerendis,

de iisdem a liene inspirandis , & ad stomachum per vias aut nunquam demonstratas , aut huic operi ineptas , deferendis , ne inquam de his , quae dudum explosa sunt et ejecta , prolixius differendo , vestra abutar patientia , cotidemus , quaeſo , paullo attentius , quid nobis et posteris persuadere voluerint ; qui ex data fabrica partium ratiocinandum in primis p̄ae se tulerunt , et quam censorie in hos etiam animadverterit Anatome . Eos volo laude dignissimos viros , qui omnem nostrae machinae in assumta effectum in sola laevigatione et tritura posuerint . Quam apposite , quam vere dixerunt esse aliquam in prima concoctione perficienda firmarum partium vim et efficaciam . Quam legitime ratiocinati sunt , ubi ventriculum et intestina , quod fibris muscularibus certo ordine positis manifeste sint praedita , habere suam longitudinem et latitudinem minuendi potentiam asseruerunt , quo fiat , ut cava , quibus circumponuntur , angustare , et premere in iis queant contenta . Quam vere affirmarunt , hinc non premi modo simpliciter ingesta , sed utcunque etiam teri et propelli , quod haec contractio non simplex tantum , sed vermicularis , sed successiva

va

va in vivis animalibus fuerit deprehensa. Quam pulchre animadverterunt, haec cum primis juvare alternam & validam imi ventris, & septi medii in contenta abdominis actionem, qua, quamdiu vitae tantillum supersit, prematur semper maxime & comprimatur ventriculus. Haec sane omnia tam vera sunt, ut, qui dubitare possit, non inveniatur. Verum ubi hanc firmarum partium actionem ad totum concoctionis negotium conficiendum fere sufficere sibi persuaserunt, & earum potentiam ingentem esse annisi sunt demonstrare, ideo tantum, quod eas in ipso homine accurate contemplari, ibique earum robur attente ponderare neglexerint, haud mediocribus erroribus facti sunt obnoxii. Quis in anatomicis paullo exercitator credat musculos agere in ratione sui ponderis? Quis ex hoc principio ingentem abdominis muscularum & diaphragmatis vim facile & vere determinaverit? Et licet hoc fieri posse detur, quis ad cognoscendum fibrarum ventriculi muscularium pondus totum recentem ponderaverit ventriculum? quem ex anatomicis constat longe minimam suae molis & gravitatis partem muscularae fabricae, maximum vero membranis, vasis, humoribusque variis

riis debere. Quis obsecro , qui semel vidi & attente consideravit muscularēs ventriculi humani fibras , tam paucas , tam tenues , qui tantam iis vim esse putet tribuendam ? quae vel quadrupla potentiae naturalis cordis sit habenda. Quis , qui in viventi animali cordis et ventriculi vires sensibus suis externis exploraverit , has inter se comparandas esse judicet ?

Ut vero tanto haec redderent verisimiliora , in auxilium vocarunt , quae pulchre sane in aliis animalibus notaverant , et validos eorum ventriculos non modo , sed ipsa , ex quibus eorum robur possit aestimari , adduxerunt experimenta. Nec equidem nego commodi , utilitatisque plurimi comparatam habere Anatomen , si modo rite instituatur , et caste cauteque ad hominis constructionem transferatur ; in hoc tamen ipso exemplo facile erit demonstrare , quantum saepe veri quadam specie possit imponere , et quantum ei ipsa accurata humanarum partium consideratio merito sit anteponenda. Validissimis , et ad terendum lacerandumque quasi factis ventriculis nonnulla et certa quidem animalia a natura esse instructa per Anatomen edocemur , eorum quoque in terendis et comminuendis ingestis vim esse

esse ingentem docent observata. At eademne  
vis humano ventriculo erit adscribenda , quae  
Bovino , quae Gallinaceo , quae piscium quo-  
rundam ? Conferendusne ille erit cum primis  
illis bovini generis ventriculis , qui in interna  
sede , qua ingesta respiciunt , tam duri et his-  
pidi sunt , apicibusque acerrimis erectis undi-  
que adeo rigent ? Conferendusne erit cum ven-  
triculis volucrum , quibus rugosi plerumque ,  
cornei quasi , asperique intus sunt , quibus vali-  
dissimis , ingentibusque musculis cingi solent ,  
quorumque tanta est in parvum ventriculum po-  
tentia , ut latera ad se invicem adducere , to-  
tumque cavum mire angustare et fere integre  
abolere queant. Conferendusne cum ventriculo  
Gryllotalpae , corneo , dentato , cum ventriculo  
Astaci , Mugilis & similiūm ? An quia hi & cal-  
lositate & asperitate & circumpositorum muscu-  
lorum mole & robore ingentem vim poslunt e-  
xercere , eadem humano ventriculo erit tribuen-  
da ? Cur ergo ille amplius est & valde extensilis ,  
semperque flaccidus ? Cur non densa fortissimo-  
rum muscularum serie , sed paucis & tenuibus  
fibris est praeditus , quae nec cavum ejus un-  
quam penitus abolere , nec tantarum virium au-

Etores esse queant? Cur ille mollis adeo tenerque intus observatur, superficie per se mehercule ad terendum & radendum ineptissima, & molli insuper, motumque absorbente muco satis semper incrustata. Docere profecto eos haec omnia poterant, longe alia ab humano, quam ab illorum animalium ventriculis speranda esse & expectanda; & licet in animalibus insignes observentur effectus, eos tamen in homine frustra quaeri. Ea sit ventriculi vaccae potentia, ut acus & clavos minores factos & politos in eo reppererit Celeberrimus Wepferus; ea gallinacei, ut nuces avellanas durissimas in pollinem redegerit, auctore Inlyto Borello, ut aerea, argenteaque numismata convoluta, post aliquot dierum in eorum ventriculis moram, & pondere imminuta, & convexa superficie insigniter attrita, concava interim immutata deprehenderint; ea ventriculi struthionis, ut ingestae monetae litteras deleverit, totamque attenuaverit; ea anatum ventriculi, ut cum glandium corticem in pulvrem mutasse observaverit Illustrissimus Brunnerus. Eademne propterea humanum posse concludes? Contraria his sentimus, immo scimus, qui attendimus, quemadmodum sic factis ventriculis ad ali-

alimenta , quibus utuntur , cruda , duraque & aspera ista indigeant animalia , sic mollem tantummodo & debilem hominis ventriculum molibus , teneris , succosis , & praeparatis plerumque cibis , quos assumere solet , satis sufficere . Quod tanto certius credimus , postquam captis experimentis didicimus solas tantum fluidas , succosas , molles , & facile deterendas , & in liquidis nostris solvendas alimentorum partes , chylo materiem praebere ; coeteras vero , quae paulo majori cohaereant nixu , a viribus machinae nostrae non superari , sed omni orbatas facile solubili integras quasi e corpore ejici , atque exterminati . Utinam , qui de cibi potusque concoctione scripserunt , accuratius perpendissent intimam ventriculi humani fabricam , ejusque in corpore posituram & connexionem ! mirabile invenissent conceptaculum , quod & calore suo blando digerat optime ingesta , intestinosque in iis suscitet motus , & ex millenis arteriosis fistulis , in cavum ejus pendulis secretum ab arterioso , per arterias maiores copiolissimas allato , sanguine , humorem tenuem , blandum , sapienteum , copiosissimum , tum & parciorem , minusque dilutum , ex glandulosis folliculis ,

perpetuo stillet, qui diluendo, macerando, solvendo, miscendoque simpliciter insignem assumatis inducant mutationem. Animadvertisserunt blandam ejus fibrarum motricum contractionem, peregrina et naturales illos humores ad se mutuo determinare, miscere intimius non solum, sed simul etiam urgere, premere, comprimere, atterere ea, quae tanta in eo haerent copia, ut extendendo vim fibris possint inferre: haecque omnia maxime juvari respirationis in ventriculum efficacia. Hanc sibi legem dicere si voluissent ratiocinantes, tot opinionum commenta necesse non fuisset, ut dederet Anatome.

Sed vix fidem Vobis A. H. faciet oratio mea, cum disputabit, quam parum firmis fundamentis maximaee saepe innitantur auctorum hypotheses, tum in explicandis humani corporis functionibus, tum in facienda Medicina. Crederetisne, succum pancreaticum, quem se nunquam vidisse, aut examinasse alibi fatentur, tanquam unum ex primariis Medicinae fundamentis agnovisse et tradidisse fama Celeberrimos Medicos, eo quod acidum tantum fuerint opinati, nisi id scriptis mandatum omnibus reliquistissent  
ad-

admirandum. Et quod majorem faciat admirationem , quis facile adduceretur , ut crederet , tam difficulter semel insitam ex animis hominum evelli opinionem , ut ipsis suis sensibus uti ne sciverint , nisi ipsi anatomici , praceptorum encomiis ad investigandum incitati , quem tandem invenerant pancreaticum succum , talem re vera se invenisse , qualem ab iis depraedicari audie rānt , credidissent & memoriae prodidissent ; quo rum tandem errorem Bohnii , Brunneri , Nuckii & quotidiana experimenta manifeste adeo coarguerunt .

Si jam circumspiciamus paullisper mentibus nostris vias , per quas confectum ex assumtis chylum in corpus omne dividi censuerunt , expurgatos iterum per Anatomen errores deprehendimus . Veteres existimasse scimus , secretum & depuratum ab aridioribus recrementis chylum e ventre & intestinis , velut e promptuaria cella , per patula venarum meseraicarum oscula ingredi , & hinc ad jecoris portas , tanquam ad communem coctionis & sanguificationis offici nam deferri , & traduci . Hancque unam viam agnoverunt , per quam tanta chyli copia rapere tur , usque dum a Casparo Afellio , vivum

forte canem incidente , & longe aliis intento , singularia hic invenirentur venosa vasa , quae naturaliter nullum unquam sanguinem , sed aliquot a pastu horis lacteum veherent liquidum , idque omne ad mesenterii deferrent centrum . Hic cum subsisteret , nec ab Anatome porro lucis quidquam acciperet , & menti nimis alte infixus esset chyli ad hepar pro sanguificatione traducendi putata necessitas , inde iterum omnem ad hepar transire putavit . Has rursum Pecquetum vidimus discussisse tenebras , quum lacteum humorem ex omnibus illis vasis in commune receptaculum effundi , & inde per singularem canalem in venam subclaviam stillari demonstravit .

Sed quid haec omnia fuse lateque mea disputat oratio , quum testatum facere queant pleraque omnia recentiorum scripta , quantum demersa fingentium temeritate Physiologia medica Anatomes cultu emerserit . Nonne e renibus fermenta stercorea , putrefactiva , lixivialia ejicit Anatome ? Nonne , ante perspectam pancreatis fabricam , & connexionem , erat tantum arteriarum & venarum sustentaculum , emunctorium hepatis & lienis , vel & lienis biliaria quasi vesicula ? Nonne pulsus arteriarum siebant ab arte-

riis

riis sese vi quadam dilatantibus & ad follium si-  
militudinem admittentibus sanguinem? Nonne  
ante detectos lacrymalis glandulae excretorios  
ductus, lacrymae oriebantur, vel a pituita cere-  
bri per ossis sphenoidis, aut ethmoidis, aut si-  
milium, foramina in oculos depluente? Vidimus-  
ne eas per nervos eo deduci, & a vaporibus ex  
oculis halantibus oriiri? Quid dicam de aere na-  
ribus hausto per processus mammillares ad ven-  
triculos cerebri transeunte? De dura matre intra  
calvariam sua contractione preniente encephalon,  
alteri cordis instar, separationis, & distributionis  
fluidi nervei causa? De chylo ad mammas ex  
thoracico ductu per singulares canales recta defe-  
rendo? De pineali glandula omnium nervorum  
origine? De aqua in pericardio naturaliter in sa-  
nis repperiunda? De epidermide ab humore rori-  
do, salino, viscidiusculo, coagulabili, e vasis  
cutaneis exsudante & vel a calore, vel frigore,  
coagulato vel siccato nascente? Quae singula &  
infinita ejusmodi alia, si fugata ex medicorum  
scholis anniterer ostendere, elegantissima Wirsun-  
gii, Graeffii, Harvaei, Loweri, Stenonis, Mal-  
pighii, Ruyschii & aliorum maxime industriae  
anatomicorum inventa ordine recenserem? Quan-  
topere

topere in toto procreationis negotio explicando disputatum est & hallucinatum , donec posterioribus temporibus Anatome certiora demonstravit. Et plurima sane in tanta materiei ubertate animo meo adhuc obversantur , quibus proditos & confutatos per Anatomen errores facile ostenderem , nisi aquam jam effluxisse animadverte rem , & cum aliis artibus nequeam , ipsa saltem brevitate hunc sermonem commendare decrevis sem. Quis igitur miretur obscurissimam manere partium functionem , quarum fabrica penitus non possit perspici ? Quis miretur thymi , lie nis , renum succenturiatorum usus obscuros esse & fere ignotos , quam fabrica eorum ab Anatome tam parum sit illustrata ? O amabilem ergo et omnibus medicis nunquam satis excolendam Anatomen ! sine qua in cognoscenda vita et sa nitate humana , nihil unquam certi et perspicui possunt adsequi , cuius ductu probabilia ab incertis , vera a falsis ubique facile distinguunt. Felices illos medicos , qui non minimam suae industriae partem in hoc studio consumserant ! Felices , qui tales nanciscuntur praeceptores , qui ex cognita fabrica partium ad intelligendum actionum earum exercitium , et inde ad cognoscenda

scenda earum impedimenta, non praecipiti cur-  
su, sed lento gradu suos ducunt discipulos.

Quam anatomicae exercitationis praestan-  
tiam & utilitatem quum agnosceretis Nobilis-  
simi & Amplissimi hujus Academiae Curatores,  
sapienter curavistis, ut & in vestra Academia  
gnaviter ei incumbere posset studiosa juventus.  
Et cum e re ejus fore crederetis, Clarissimum  
Leusdenum, qui maxima cum laude hanc spar-  
tam adhuc sustinuit, ad prixin medicam do-  
cendam transire, vacuum, hac permutatione,  
ab eo relictum locum me in primis implere vo-  
luistis. Quod quam prudenter feceritis, meum  
non est dijudicare, ne vel de me ipso nimis  
ample & elate sentiendo, laborare viderer ar-  
rogantiae opinione, vel si quid in me sit, cur  
me hoc munere ornandum & augendum judi-  
caveritis, id verbis extenuando, sim adversus  
vestra judicia improbe curiosus. In litteris &  
Medicina natum, suscepsum, educatum, a Pa-  
tre ad docendum institutum, domesticis exem-  
plis tantopere incitatum, in Celeberrimum hoc  
sapientiae Theatrum me produxistis; pro quo  
beneficio debitas Vobis grates ago, & ne Vos,  
Eosque, quorum apud Vos tantum valuit mei

E com-

commendatio, facti aliquando poeniteat, omnes industriae meae nervos contendam. Quae in Leydensi Academia, altera illa mea patria, a Celebratissimis & omni mea laude majoribus Viris, tum in universa Medicina, tum in Anatome & Chirurgia didici, & quae propria industria assequi potero, in Vestræ Academiae commoda convertere, omni studio, & diligentia, constantia, conabor. Et modo meis contibus favere, vestraque benevolentia porro haud indignum me judicare velitis, operam dabo, ut, si vestra de me judicia penitus sustinere nequeam, tamen aliqua saltem ex parte respondeam illi exspectationi, quam [de me in multorum animis auctoritas vestra concitavit.

Hoc etiam de publico bene merendi studio, obsequiis meis, & quo potero officiorum genere, Vobis, Celeberrimi omnium artium & disciplinarum Professores, me ingerere conabor, si me in amicitiam vestram recipere, & me aetate usque rerum longe superiores vestris consiliis juvare volueritis, in perpetuum me Vobis devincietis.

Nihil vero mihi erit gratius, nihil acceptius, quam ut commodis vestris inserviam, Ornatissimi

mi Juvenes, qui Medicinae operam dare decre-  
vistis. Qua jucunditate in artificiosissimam hu-  
mani corporis fabricam introspiciemus! qua di-  
lignantia, quo ardore, abditissima ejus lustrabi-  
mur penetralia! modo praecuntem sequi, &  
parandas vobis epulas vestro conventu diligen-  
ter celebrare volueritis, pabulum studio & do-  
ctrinae vestrae quotidie suppeditabo.

D I X I.

RIBAUSONI

l'antico e il moderno. Tali sono  
le due correnti che si contrapponevano  
nel tempo. L'antico o la scuola del vecchio inseri  
il classico, secondo le parole di un'altra